



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CLII. Quomodo homo Christianus Ducem ac Dominum suum crucifixum Jesum imitari possit, ac debeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CLII.

Quomodo homo Christianus Ducem ac
Dominum suum Crucifixum imitari possit,
ac debeat?

*Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum,
ut sequamini vestigia ejus. 1. Petr. 2. 21.*

I.

Summopere commendandus est generosus ille Armiger, qui Jo-
nathan Dominum suum per viam tam arduam, per rupes & 1. Reg. 14. 13.
colles intrepidè secutus est: *Ascendit autem Jonathas, manibus & pe-
dibus reptans, & Armiger ejus post eum. Ascendit Dominus noster,*
amantissimus JESUS cum crucis pondere per viam arduam ad
Calvariae montem, oportet ergò, ut & nos illius armigeri generosè
hunc Ducem ac Dominum nostrum sequamur. Ad hanc sequelam
omnes Christianos fideliter adhortatur Apostolorum Princeps Petrus: 1. Petr. 2. 21.
Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.
Non mirentur ergo Christiani, si vocantur ad crucem, nam & Chri-
stus Dux & antesignanus noster ad eandem vocatus, propriis illam hu-
meris portavit, & in ea suspensus & enecatus est. Audiant hoc molles
& inconstantes hæretici, qui quidem fidem Christi sequi volunt, non
tamen passionis vestigia, plenis buccis concrepantes, solam fidem in
Christum sufficere ad salutem, Christum enim pro nobis planè satis-
fecisse, hinc nulla bonorum operum nostrorum esse merita, & satis-
factiones nullas. Sed audiant hi quod intonat hic S. Petrus: *Vobis re-
linquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, servus enim non est major
Domino suo.*

2. Exempla Magnorum permagni sunt æstimenda, & occulta vi
cogunt sequi subditos. Urias miles egregius negat licere sibi in lecto
molliter cubare, cum Dux Joab lapidi indormiret, unde ad Davidem
Regem dixit: *Arca Dei & Israel & Juda habitant in papilionibus, & Dominus* 2. Reg. 11. 11.
meus Joab, & servi Domini super faciem terra manent; Et ego ingrediar domum
meam,

Cccc 3

meam, ut comedam & bibam? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciem rem hanc. Hoc faciat quilibet egregius miles Christi, qui adhuc stadio currit ad bravium, ut comprehendat: Ecce Dominus meus & Redemptor meus pendet in crucis patibulo, & ego voluptate fruor? Quid magis indignum, quid magis detestandum, quid gravius puniendum, quàm ut videns Deum cœli & terræ exinanitum, in cruce vulneratum, morientem, desolatum, & interim homo vermiculus infletur, & intumescat, & lautè vivat? Ita Mellifluus.

3. Ethai Gethæus vir fidelissimus, ubi David à facie Absolonis per montem Olivarum fugam apprehendit, mox in mœstissimo hoc itinere se fugæ & miseriarum comitem adjunxit, hinc ad Davidem di-

2. Reg. 15. 21. *xit: Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* Hoc dicit etiam Christianus, si Christum Regem Judæorum patientem & Crucifixum aspicit, si illum inter flagra, spinas, ludibria, nudum, toto corpore saucium, ac doloribus exhaustum contemplatur: *Vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus, si ita placuerit sanctissimæ voluntati tuæ.*

4. Gedeon Hebræorum dux illos solummodò milites elegit, qui *Judic. 7. 6. 7. linguâ lambuerunt aquas.* quibus dixit: *Quod me facere videritis, hoc facite, ingrediar partem castrorum, & quod fecero sectamini.* Dux & noster Gedeon Christus est, qui illos tantùm milites solet eligere, qui bonorum temporalium aquas manibus tantùm bibunt, non qui se in eas toto corpore demittunt, hi apti sunt ad sectandum Dominum suum. Præibat autem Gedeon noster Christus in montem Golgothæum, ubi in cruce ex alto pugnaret cum acerrimis hostibus suis, diabolo, mundo & peccato, & fecit victoriam, dum occubuit, & lagena ejus confraeta est. Et sicut, ait quidam devotus Christi Servus, lagenam suam Christus confregit, cum corpus suum sanctissimum vulnerari, & tot tormentis lacerari permisit, ita etiam vult, ut nos pro possibili sequamur: *Quod me facere videritis, hoc facite, quod ad captum nostrum optimè declarat Apostolus: Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis; unde Petrus Cellensis: Imitemur Fratrem nostrum, & si non usque ad sanguinis effusionem, saltem usque ad vitiorum repressonem; si non ad lateris effusionem saltem ad desideriorum defossionem.*

5. Alexander Rex Antiôchi filius, cum Jonathæ Pontificatum confirmaret, in signum summæ amicitie purpuram & coronam auream per legatos misit, ut per hoc proprium vestimentum regium illum magis sibi devinciret: *Conserves amicitias ad nos.* Jonathas princeps regius propriam tunicam Davidi dedit in signum inviolabilis amicitie: *Expo-*

1. Mach. 10. 20. *navit se Jonathas tunicâ.*

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

1. Reg. 18. 4.

Animemi! placet Regis & Christi crucifixi amicitia? En mittit tibi suam purpuram & coronam spineam, expoliavitque se vestibus omnibus, ac nudus pendet in crucis patibulo, ut te proprio suo indueret vestimento: *Tunica Jonatha*, ait Hugo Cardinalis, *conversatio Christi est, quam dat suis amicis*. Si in hoc indumento similitudinis Filii Dei ad Patrem cœlestem accedes, sicut Jacob plenam accipies benedictionem. Ecce quid ultra tibi facere potuit crucifixus JESUS, & non fecit? Et tu nondum amas hunc Crucifixum Amorem tuum? Dic cum Psalte: *Adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui*, O JESU, Amor & Salva-
 tor meus. Audiamus Bellarminum Eminentissimum S. R. E. Cardi-
 nalem: *Quemadmodum, inquit, nihil erit in futuro saculo beatius, quam esse Christo similem in gloria; sic in presenti tempore nihil est utilius, quam esse simili-
 lem in Passione.*

6. *Ferculum sibi fecit Rex Salomon delignis Libani. Columnas ejus argen-
 tas; Reclinatorium aureum, ascensum purpureum: Media charitate constravit
 propter filias Jerusalem.* Attentum te esse cupio, singula enim verba de-
 notant aliquid. Ferculum, id est lectica, & quasi currus triumphalis,
 crux est, ita Aponius; Facta est crux Dominica ex lignis Libani impu-
 trilibilibus, unde etiamnum in suis reliquiis, quæ passim in multis Eccle-
 siis conservantur, perdurat, & perdurabit usque ad extremum judicii
 diem. Columnæ argentæ crucis sunt summa Christi humilitas &
 obedientia juxta illud: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mor-
 tem, mortem autem crucis.* Reclinatorium aureum, ait Cornelius, fuit in-
 victa ejus patientia & magnanimitas, cui incumbens mitissimus Salva-
 tor omnes plagas, injurias, dolores placidè tulit, & superavit. *Ascensus
 purpureus* est totius sanguinis effusio, quæ totum Christi corpus cruen-
 tavit, & purpuravit, quem generoso animo secuti sunt tot milliones SS.
 Martyrum. *Media charitate constravit.* Quid est medium in corpore hu-
 mano nisi cor, à quo omnia membra suum vigorem participant? Tol-
 lecor, & homo abibit in nihilum; Tolle Cor JESU, sedem amoris, fon-
 tem omnium gratiarum ac benedictionum, pignus futuræ gloriæ, &
 tabesceat in nobis anima nostra. Proinde clamemus omnes eum dile-
 cta illa Sponfa: *Trahere nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum,*
 & libentissimo animo per tuam gratiam feremus crucem nostram:
Portate Deum in corpore vestro. O Domine JESU! exclamat Mellifluus,
 quam pauci post te ire volunt, cum tamen ad te pervenire nemo sit, qui nolit.
 7. Jeremias Propheta discubulos suos Judæos, & toties à mandatis
 Dei recalcitrantes severè corripuit: *Hæc dicit Dominus: stete super vias, &
 videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sicut via bona, & ambulate in ea, & in-
 venietis refrigerium animabus vestris.* Et quænam, dices, sunt istæ semitæ an-
 tiquæ, in quibus nos oportet ambulare?

R. S.

Psal. 136. 6.
 Bellarm. ep.
 107. ad Ben-
 jaminum Ca-
 merium.

Cant. 3. 9.

Philipp. 2. 8.

Cant. 1. 3.


1. Cor. 6. 20.
 S. Bernh. ser.
 26. in Cant.

Jerem. 6. 16.

R. S. Hieronymus & alii apud Cornelium; Viæ antiquæ sunt exempla Majorum nostrorum, quæ nos oportet imitari, ut fidem Abrahæ, Isaacii obedientiam, Jacobi labores, Josephi castitatem, Moyſis mansuetudinem, Jobi patientiam, Davidis sanctitatem, & quàm maximè vitam Christi Jesu crucifixi. Hæc verba sibi dicta putent omnes Christiani: Christianus es? speculari vias antiquas, vide quomodo vixerit, & quid fecerit Christus caput tuum, & omne Bonum tuum; Audi quid ad te loquatur de cruce:

*En homo, quæ pro te patior tormenta Redemptor,
Et potas Authoris non meminisse tui?*

Refert Stengelius, quòd Boleslaus quartus Poloniæ Rex affixit pretiosam Patris sui effigiem è collo pendulam secum portaverit, eamque sibi legem sanxerit, ut quoties dicendum aliquid, faciendumque occurreret, impressio osculo Patrem tanquam viventem in imagine compellârit: *Absit ò mi Pater. ut à me unquam aliquid regio tuo nomine indignum statuam.* Hoc fac & tu, ò mi Lector, circumfer in pectore tuo Crucifixi imaginem, eamque sæpius alloquere: *Absit ò mi Jesu, ut in aliquo te offendam &c.*



CONSIDERATIO CLIII.

Christus passus & Crucifixus docet nos, quomodo debeamus servare salutare silentium.

*Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram
tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.
Isa. 53. 7.*

I.

Totus quasi infernus conjuravit contra Job virum patientissimum, juxta ac sanctissimum, ut eum perderet, & è mundo eliminaret; in hunc finem percussit eum Sathanas ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem, & reliquit ei solam uxorem & labia illæsa: *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Et quare hoc?

Job. 17. 20.

ses meos.

R. Cum